

iuris deteriori, ostendit. Fac meliorem esse, qui plus habet virium; tum imbecilliozem debere fortiori parere, nihilque praeter robur iuris esse regulam, sequitur. Iam multi plus possunt vno, quaeque adeo iubet multitudo, sunt iusta: at eadem haec multitudo, melius esse iniuriam pati, quam facere, sciuit, haec enim communis est omnium fere hominum opinio; ergo non lege, sed natura, ab inferenda imbecillioribus iniuria arcemur, falsumque est, quod supra dicebatur, naturam fortiori quilibet audendi ius indulgere. Captus his Callicles, alium huic vocabulo sensum subiicit, melioresque sese putare praestantiores, id est, prudentiores, affirmat. Esto, inquit Socrates; tum sequeretur, si multa essent in vno loco, quae ad cibum potumque pertinent, multique, quibus haec distribuenda, homines, vnus tamen naturam eorum magis intelligens, circaque edenda et bibenda magis sapiens, medicus nempe; hunc vnum plus reliquis omnibus inde auferre, licet sit infirmissimus, minimeque indigeat, iure posse sequeretur; qui sartor est peritissimus, vestes ei pretiosissimas iure deberi, et sic porro. Negat Callicles, sutores, sartores, medicos, horumque similes se intelligere, cum prudentissimorum faceret mentionem, sed eos, qui in administranda republica reliquos prudentia vincunt, simulque animo sunt forti; hos iure hominibus imperare, suoque arbitrio rempublicam administrare, vt nulla praeter hoc lex regulaque iuris agnoscat; horum hominum cupiditates nullis debere circumscribi limitibus, nullaque ratione reprimi; eis licere, quaecunque ab his cupiditatibus suadentur; quae enim de temperantia, moderatione, aliisque virtutibus vulgo feruntur, haec nulli rei, quam imbecillitati multitudinis, deberi, ob id ipsum has leges sciscitentis, vt aliqua saltem ratione, qui ingenio praestant
et